



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Senatore Episc. Veronensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

DE SANCTIS MARTYRIBUS

POLYANTHO, PHILONE, CANDIDA.

VII JANUARI. **M**artyrologium S. Hieronymi VII Januarii : Et alio loco Polyanthi, Philonis, Candidæ. Erit fortassis qui ex nominum affinitate eosdem hos esse conjiciat, de quibus idem Martyrologium XIII Februarii : Et alibi Philanti, Philoronis, Candidi. At plures in Martyrologiis celebrantur, non solum similibus, sed omnino iisdem appellati nominibus.

DE S. JULIANO MARTYRE IN GALLIA.

VII JANUARI. **E**gimus supra de S. Juliano Martyre Sardo. Alium hoc ipso die refert Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano, his verbis : In tractu Andegavensi natalis S. Juliani Martyris, cujus corpus in asceterio seu Prioratu S. Joannis ad Ligerim quiescit condigno cum honore. Nihil alibi de eo reperi. Hic, an Sardus ille, a Martyrologio Romano celebretur, non divino : ab illo diversum esse hanc constat, cum utrobique corpus extet.

DE S. SENATORE EPISC. VERONENSI.

VII JANUARI. **S**enatoris Episcopi Veronensis natalem referunt hoc die Galesinius et Ferrarius, licet hic festum propter Octavam Epiphaniæ in XIX Januarii rejici testetur. **2** De eo ita scribit idem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae : Senator inter Sanctos Proculum et Probum Episcopatum Veronensem, Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, administravit. Vir fuit sanctitate, doctrina, ac gravitate, ceterisque virtutibus, quæ in optimo Pontifice requiruntur, præditus. Hic gravitati facilitatem adjunxit. Cumque Ecclesiam aliquot annos summa cum laude, et populi utilitate rexisset, tandem VII Idus Januarii ex hac vita migravit. Ejus corpus in basilica S. Stephani conditum in magno habetur honore. De corpore idem testatur Galesinius in Notis. Colitur S. Proculus Episcopus Veronensis XXIII Martii, S. Probus XII Januarii. Sed quod hic habet Ferrarius, S. Senatorem sub Diocletiano et Maximiano floruisse, id XXIII Martii in dubium revocat, contendens S. Proculum ejus decessorem sub Claudio Maximino, qui an. CCXXXV invasit Imperium, floruisse.

DE S. LUCIANO PRESBYTERO MARTYRE.

§ I. Luciani sanctitas, doctrina Catholica.

ANNO CCCXII. **C**elebratur gloriosus hic Martyr ac Doctor VII Januarii a Latinis, a Græcis nunc XV Octobris, ut ex Menologio et Menæis patet, atque Anthologia a Clemente VIII approbato; olim vero eodem quo et obiit die VII Januarii, ut liquet ex S. Chrysostomi sermone postridie Theophaniorum in illius laudem habito. De eo Usuardus : Eodem die B. Luciani, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri et Martyris, qui satis clara doctrina et eloquentia, passus est Nicomediæ ob Christi confessionem in persecutione Maximini; sepultusque est Helenopoli Bithyniæ. Eadem fere de eo prædicant Bellinus de Padua, et Martyrologium Romanum, nisi quod non sub Maximino sed sub Maximiano passum volunt. Sub Maximino passum habent Beda et Ado excusi.

2 Prolixius ejus elogium ab Actis, quæ infra dabimus, paululum discrepans, habet Notkerus, et mss. Adonis Martyrologia, monasteriorum S. Laurentii Leodii, et Lobienis : Et Nativitas S. Luciani Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri, et Martyris, viri doctissimi atque eloquentissimi, qui Nicomediæ ob confessionem Christi passus, et in quatuor partes dissectus est : quibus in singulis lapidibus ligatis, et in mare demersis, alia die Helenopoli Bithyniæ integrum corpus cum ipsis lapidibus inventum honorifice sepultum est. Quam urbem, cum prius Drepana vocaretur, in honorem ejusdem Martyris Constantinus Imperator instaurans, ex nomine matris suæ Helenopolim nuncupavit. Eadem fere mss. Laetiense, et S. Martini Tornaci ac Florarium. At mss. S. Martini Treviris, et S. Mariæ Ultrajecti : In Nicomedia Luciani Presby-

teri, qui in quatuor partes fractus, in mare demersus, integer inventus est. Memnere quoque S. Luciani hoc die vetus Martyrologium Romanum, ms. S. Hieronymi, Wandelbertus, Maurolycus, Galesinius, aliique.

3 S. Hieronymus lib. de Scripturis Ecclesiasticis cap. 77, ita S. Lucianum celebrat : Lucianus vir disertissimus, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, tantum in Scripturarum studio laboravit, ut usque nunc quædam exemplaria Scripturarum, Lucianea nuncupentur. Feruntur ejus de fide libelli, et breves ad nonnullos epistolæ. Passus est Nicomediæ ob confessionem Christi, sub persecutione Maximini, sepultusque Helenopoli Bithyniæ. Eadem fere Honorius Augustodunensis cap. 77, sed fallitur dum Nicomediæ Episcopum fuisse scribit.

4 Duo de S. Luciano revocari in controversiam possunt : primum, recte senserit de fide orthodoxa; alterum, quo tempore obierit. Quod ad primum attinet, quia id nostri non est instituti, singulorum Sanctorum scripta expendere, dum constat eos in Catholica fide esse mortuos, atque in cælitum numero ab Ecclesia censi, id verbo solum hic attingemus; præsertim cum id plenius acturum esse sciamus Petrum Halloix Nostrum; cui eruditissimo viro precor ut multos Deus addere annos velit. Nam quæ edidit jam de Sanctorum scriptorum Ecclesiæ Orientalis rebus gestis volumina, tum sancto illi Laetiensi Abbati Antonio Wingio mirifice probata, tum ab aliis viris eruditissimis ita laudari scio, ut negent se alium scriptorem majori legere animi voluptate; quidquid aliqui secus sentiant. Sed ad S. Lucianum revertamur.

5 Cum acerrime Sabellianorum errores confutaret Lucianus, ardore disputationis eo est proventus, ut paulo licentius

Ejus elogium
ex S. Hieron.

In quatuor
partes disse-
ctum quidam
scribunt.